

Th. Ad. Proehner

Halae, 1756.

1999

A

6936





Scripta





ANNIVERSARIA SACRA
NATIVITATIS
CHRISTI

RELIGIOSE OBEVANDA

ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE

PRORECTOR

D. PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMERVS
MEDICINAE ET ANATOMIAE PROF. PVBL. ORD.
ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. ET REG. BEROLINENS. SODALIS

VNA CVM

DIRECTORE
AC RELIQVO SENATV
INDICIT
CIVIBVS



PRAEMISSA DISPVATIONE

DE NOMINE IMMANVELIS

ECCLESIAE OLIM

IN ARGVMENTVM SOLATII ET BONAE SPEI PROPOSITO.



HALAE, IMPENSIS ORPHANOTROPHEL. M DCCLVI.



ANNIVERSARIA SACRA
NATIVITATIS
CHRISTI

RELIGIOSE ORBANDA

ACADEMIAE REGIAE FERDINANDINAE

RECTORI

AD PHILIPPUM ADOLPHUM HORNHEIMENSEM
MEDICINAE ET ANATOMIAE PRAELECTORUM
ACADEMIAE REGIAE FERDINANDINAE

IN

DIRIGENTE

ACADEMIA REGIA FERDINANDINA

IN

CIVIBUS

FRATERNITATE

DE NOMINE IMMANUELIS

REGIAE FERDINANDINAE

IN ARGUMENTUM SOLATI ET BONAE MEMORIAE

ACADEMIAE REGIAE FERDINANDINAE

HAEC IMMANUELIS ORPHANOGRAPHI M. DCC. LXXI





Natalitia sacra, quod Deus bene vertat, denuo vobis;
Ciues carissimi, rite celebranda indicimus. Quod in-
stitutum Academicarum vetus & laudabile, iustum fru-
ctum amplissimumque tum consequetur, si cogitationem
maximi operis beneficiique diuini commouere queat at-
que acuerè: cogitationem dicimus, non illam sterilem, foliua-
gam ac ieiunam, sed hanc quae animum omnemque vitae actionem attingat at-
que adficiat. Hoc enim protecto salubre ac frugiferum, hoc rei, quae
agitur, natura & magnitudine dignum iudicaremus, si vel ex huiusmodi
adfatu publico, legentium pectus sanctiores quosdam igniculos conciperet,
aut certe, sicubi adsunt, hoc contingeret, quod in scintilla fit,
quae leni flatu adiuta ignem suum latius latiusque explicat. Piam prae-
sertim ac venerabundam contemplationem postulat *magnum* illud, cuius
memoriam per hos dies sanctior Christi ciuitas recolet, *mysterium pieta-
tis*. Hic nimirum ipse titulus, Ciues, quo gentium apostolus, prin-
ceps euangelii caput de *Deo in carne reuelato* adicit (a), admonere pot-
est, quale hoc arcanum & quo referendum sit, nempe ad *εὐσεβείαν*;
hoc est ad verum Numinis supremi cultum, qui non externa caerimonia
rituumque formula absoluitur, sed in spiritu ac veritate peragitur.
Io. IV, 24.

Atque vt materiam, Ciues optimi, & quasi ansam meditationi ve-
strae praebeamus, placet hoc tempore in memoriam reuocare, dulcif-
simum illud nomen IMMANVELIS, quod Messiae pridem Esaias

A 2

vates

(a) 1 Tim. III, 16.

vates, vt a Deo acceperat, indidit. Habetis illud, cum aliis in locis, tum in illustri illo Esai. VII, 14. ad quem idem qui prophetam egerat, Spiritus S. per Matthæum euangelistam nos remittit, didique implementum in Iesu domino nostro demonstrat Matth. I, 23. Deduxit nos ipsa temporum nostrorum ratio & rerum publica facies, in hoc, quod quidem cuius alias tempori aptum est oraculum. Est enim haud obscura similitudo illius temporis, quo Esaias illud aureum dictum, in ipsoque tanquam gemmam lucidissimam nomen Immanuelis, primum edidit, & huiusce nostri. Nam quemadmodum tum ingentes quidam bellorum motus pacatum Iudaici regni statum perturbauerant, sic in patrio Germaniae nostrae solo, non iam minae tantummodo armorum illae-tabilem rerum faciem portendunt, sed ipsum belli incendium triste ac funestum flammam passim suas coepit diffundere. Iam sicuti porro pri-sca illa tempestate, diuina popularibus suis vates solatia proposuit, con-ducuitque, quomodo se parare, quo in Deum animo & qua in spe esse deberent; ita aequum est, vt nos, quorum rationes haud absmiles illo-rum conditioni esse videntur, nobis illa haud minus dicta esse existime-mus. Valeat enim & hac in caussa Paulinum illud: *Quaecunque ante scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & scri-pturarum consolationem spem habeamus.* Rom. XV, 4. Ideo nimirum haec & similia prouidum & benignissimum Nomen consignari literis, & in sacrum codicem, qui quasi omnium aetatum & hominum liber esset, referri curauit. Non displicent propterea quae in hanc rem de vatium praesertim vsu differens habet b. BRENTIUS (b): *lectio, ait, pro-phetarum est curia caelestis, e qua petenda certa instructio, quid nos in singu-lis actionibus nostris sequi & facere deceat. Historias admiranda conserua-tionis ecclesiarum inter tot pericula, impedimenta, impiorum machinatio-nes, insultus, rabiem, furorem, commemorant, vt doceant nos, Dei bene-ficio & prouidentia, statim a mundi exordio ecclesiam conseruatam, hodierno die, temporibus hisce periculossimis, in tanta rerum omnium confusione & perturbatione conseruari & ad omnem perpetuitatem conseruandam esse. Ha-tenus ille.*

Vt autem magis appareat, quomodo olim in illis turbis mediisque tumultibus publicis, insigne illud oraculum de principe pacis, Immanue-le, ex virgine nascituro, natum quasi sit, iuuat strictim totam rem ex commentariis sacris repetere & quasi oculis subiicere.

(b) In epist. dedicat. Tomo IV. oper. praemissa.

Quum

Quum concionem illam praestantissimam, vnde is locus decerptus est, Esaias haberet, summae rerum apud Iudaeos praeerat Achafus, prauus homo, superstitionibus deditus atque a vero numine alienissimus. Id tempus explicite noster indicat, pluribus alioquin aequalis regibus; (c. I, 1.) caeterum Achafus hic cum ea quae mox dicemus, inter ipsum vatemque agerentur, haud forte triennio diutius imperitauerat, id quod ex quibusdam errare vix patientibus temporum notis colligitur. Regi huic eiusque populo, is qui tum Syriam regebat, Retfinus (aliis Rhafes dictus) & iam antea infensus fuerat, & tum palam bellum inferre parabat. Qua in expeditione Pecachus s. Phacaeas, Israelitarum rex, haud grauatim socia Syro arma iungebat, eoque ventum erat, vt res haud dubie ad Hierosolymam oppugnandam spectaret, arcem Iudaeae totius atque oculum. Quarum rerum fama vbi percrebuit, trepidare rex, totaque familia Dauidis ingenti timore percelli, quos motus animorum eleganter pingit scriptor sacer, comparans cum arborum siluestrium comis ac foliis cum aurae statu concussae fluctuant. Scilicet praepotentis Iehouae auxilium, ad cuius potentiam omnes illi apparatus ne minimi quidem momenti instar habebant, vel supina ac voluntaria ignoratione & obliuione inuolutum hic erat, vel ob conscientiae labe & vulnera haud sperari posse videbatur. Et regem quidem vires suas aestimantem, remque omnem rationis trutina perpendentem, facile in maiorem quendam metum coniiicere poterat, quod ab iisdem qui nunc conspirauerant regibus, iam antea, vt verisimile est, grauem cladem acceperat (c). At enimvero in his populi sui angustiis, rerumque asperitatibus, promissionum, quas iuratus saepe dederat, Deus haud immemor, harum rationem potius habendam statuit, & hominum, si qui illo tempore supererant, melius animatorum, quam regis impii & sequacium. Itaque interpres DEI Esaias adire regem, adsumto filio suo Schearjafchubo, iubetur, eumque, nil quidem tale meritum, Dei verbis confirmare, quia futurum esset, vt hi ipsi reges quorum aduentan-

A 3

tium

(c) In ordinandis conciliandisque regum Syriaci Israeliticique expeditionibus, quarum historia & in regum ac chronicorum libris exstat & apud Esaiam, non vna quidem ab omnibus est inita ratio, dissentiantque, vt alios taceamus, VSSERIUS atque LIGHTFOOTVS, quorum euigilatae in temporum rationibus

putandis curae celebrantur: ratio tamen ab iis stare videtur, qui expeditionem 2 Par. XXVIII, 1. sqq. narratam, priorem ea statuunt, quam Esaias commemorat; cuius sententiae rationes satis probabiles VTRINGA adfert in *Comment. in Esaiam* ad h. l.

tium fama tantopere esset exterritus, in exitium ruerent, nihilque adeo minis, consiliis, apparatu bellico, copiisque instructis proficerent. Haec dicta, cum obstinato, ut videtur silentio rex Iudaicus exciperet, nouum propheta diuino iussu ad superiora adiungit argumentum, unde beneuolentiam Numinis in populum suum colligeret: iubet enim signum quoddam confirmandae rei promissae petere, & optionem dat, utrum ex terrae profunditate mallet, an ex caeli summo fastigio id sibi contingere. Ibi Ahasus, quamuis de hac beneuolentia, ad quam nihil addi posse videbatur, gratulari sibi potuisset, atque etiam quod ultro Deus offerebat accipere sine haesitatione & piaculo, negat se petiturum, modestiam & religionem, prauo ingenio praetextens; quoniam citra dubium iam alias opes humanas, humanasque expediendae salutis rationes circumspiciebat, solo autem Dei verbo niti, minus forte prudens, minus tutum, minus regium putabat. Vere enim, ut cum **AVGVSTANA CONFESSIONE** (*Art. XX.*) loquamur, sine fide nihil humana natura exspectat a Deo, sed quaerit humana praesidia, confidit humanis praesidiis. Ita regnant in corde omnes cupiditates, & humana consilia, cum abest fides & fiducia erga Deum. Sic igitur tum animatus rex, satis hoc ipso degenerem a progenitoris sui Dauidis indole prodebat animum. Nec tamen volebat Deus, quidquid rex deliraret, ciues, ut in proverbio est, illius luere: itaque quod propositum ipsi erat statutumque, exsequitur. Increpare hic primum intrepide vir entheus *Dauidicam domum*, (hoc ipso nomine eos non sine causa compellans) regem praefertim ex illis simulationis integumentis euoluere, atque Dei nomine ipse signum bonae spei praefigere atque his exhibere verbis: *Ecce virgo concipit & parit filium, & vocabit nomen eius IMMANVEL.* Id signum longe maximum erat, idemque salutare atque amabile, & quod eam naturam haberet, ut diuersa ratione & ex alto esset & ex humili.

Quae pro illustrando hoc vaticinio adferri possent, & a multis interpretibus tam antiquis quam recentioribus affatim collata sunt, recensere hoc loco, & vel confirmare vel conuincere, non est praesentis instituti nostri, nec eius in quam constringimur breuitatis. Iusti enim voluminis potius quam paucarum paginarum ea foret opera. Vnum tamen est, quod iis quae de Immanuelis nomine dicturi sumus praestruendum ducimus, quia generatim ad veram totius oraculi explicandi rationem spectat & fundamenta quasi continet eorum quae sigillatim in illius partibus exquiri & considerari possunt. Sunt videlicet inter christia-

Aianos interpretes, (nam Iudaeos consulto nunc mittimus) qui sibi
 persuadeant, non aliam esse faciliorem rationem, has illas difficultates
 quae euidens alioquin vaticinium circumstant, expediendi, quam ut
 statuatur, verba prophetica primum ac proximum implementum eo ipso
 iam iam facta esse tempore, quo primum edita sunt. Itaque si hos au-
 ctiores audiamus, id fere diceret Esaias; virginem ἀνυμάλαν breui nuptu-
 ram, vel feminam, ut alii malunt, iam tum iunctam viro, prolem mascu-
 lam partu edituram, atque Immanuelis ei nomen imposituram esse.
 Signum porro si quaeras quod & quale fuerit in euentu isto, in quonihil
 a consueta naturae lege & constitutione recedens agnoscunt illi, duas res
 plerumque adferunt. Nam & in hoc argumentum pro fide omnium
 quae propheta dixisset animaduertere nos iubent, quod cum nemo mor-
 talium praeuidere aut sine formidine diuersi euentus praedicere potuisset,
 qualem illa partum, maremne an femellam aut iam vtero contineret, aut
 conceptura enixuraque esset, id tamen & quidem μετὰ παρήστας, suf-
 fragante euentu, noster fecerit, reuelante id praescio futurorum Deo. Ad-
 iungunt deinde ipsum laeti omnis nomen Immanuelis puero tum nato
 imponendum ac deinceps impositum, vbi tamen valde & hoc ambigi-
 tur, quis tandem ille fuerit infans, cui quidem nonnulli Esaiam patrem
 adsignant, alii alium. Sunt in hac sententia nec oppido pauci interpre-
 tes, nec alioquin pessimi, sed partim tales, in quibus nec doctrinam iudi-
 ciumque desideres, nec religiosam in tractandis his sacris animi indo-
 lem. Quosdam eorum, (neque enim attinet magnum hic agmen co-
 gere) Clar. VITRINGA nominat in egregia totius huius caussae discepta-
 tione, quae in illius *Obseruat. Sacr.* L.V. c. 1. habetur. Adiungimus his
 SEB. CASTELLIONEM, quod colorem is huic opinioni verique spe-
 ciem ex aliorum locorum prophetorum similitudine conciliare studet.
 Postquam enim in adnotationibus interpretationi Bibliorum subiunctis verba
 Es. IX, 5. explicuisset, haec subiungit: *Vides lector Esaiam ita super Em-
 manuele vaticinari, ut nos sensim ad verum Immanuelem, Christum addu-
 cat, quod idem postea c. XLV facit in Cyro; ut Ezech. c. XVI fit transitus a So-
 domitanis, ad gentes Sodomitanorum similes cet.* Postea vero, interiectis
 nonnullis, haec habet: *Matthaeus, quum Christi describeret originem, rite
 adduxit huius de Christo vaticinationis initium, ECCE PVELLA PRAE-
 GNANS; nam dum initium vaticinationis adducit, remittit nos ad ipsum va-
 tem, ut totam hanc vaticinationem consideremus. Non enim hoc sic intelligi
 de-*

debet, *Esaiam verbis illis* PVELLA PRAEGNANS cet. *virginis praedixisse partum, sed hac tota vaticinatione cuius initium est* ECCE cet. Nollemus in easdem has partes concessisse etiam IO. ALB. BENGELIVM τὸν μακαρίτην, quod haud dubie facit cum in *Gnomone N. T.* p. 19 ad illa Matthaei, ὃ ἐστὶ μεθερμηνεύμενον κ. λ. haec commentatur: NOBISCVM DEVS, per se quatenus enunciationem integram includit non est nomen diuinum, ideo etiam puero Esaiiae tempore inditum est. Hoc nimirum gratis occupat vir doctus, atque asseuerantius etiam quam pro euidencia opinionationis pronunciat. At veremur admodum, vt auctoritati Euangelistae ex Θεοπνευσία allegantis vatem, satis cautum sit per ea quae beatus vir ad v. 22. l. c. adscribit, nec latus variis aduersariis Scripturae apertum praebetur. Legi ea apud ipsum possunt, cum vberiora sint, quam vt hic describantur. Rectius omnino tutiusque videtur, nullum in illustri loco Esaiano comminisci alium Immanuelem, *ψιλὸν ἀνθρώπου*, sed eum vnice amplecti qui illius vim omenque perfectissime explet, id quod, fatente etiam qui hic diuersarum partium est, GROTIIO, a solo Iesu Christo factum. Huius natiuitas verum solatium adfert, ex qua etiam externa & ad hanc vitam pertinentia Dei beneficia in sermone prophético passim deriuantur, *populo Messiae practiua*. Idem nimirum, nec alius praeter hunc designatur, quem pluribus aliis nominibus deinceps c. IX, 5. noster ornat, quae authenticam quodammodo explanationem nominis Immanuel continere haud iniuria dixerimus.

Hunc nobis, non puellum istius aetatis Iudaicum (cuius natiuitas non nisi exilem quandam spem & minutum solatium adferre potuisset) Esaias c. VIII. demonstrat, vt dominum terrae ac principem, (Ier. XXX, 9. Pf. XXIV, 1.) Huius tutelae ac patrocínio, in iis quae tum impendere videbat periculis, terram sanctam commendaturus v. 8. *Expandent, ait, alas suas* (Assyriorum copiae) *in terram tuam, quam late patet, o Immanuel!* quasi hoc diceret: indignum, acerbum, luctuosum, tantum animi hostibus nostris additum, vt in terram tutelae atque patrocínio regis sempiterni commissam armis inuadant, vicos incendant, vrbes occupent, hominibus vitam & libertatem eripiant. Et tu haec pateris, o Immanuel? Nec te tui nominis amplitudo, nec summi imperatoris officium, nec eorum fides qui tibi vitam crediderunt, nec gloriae tuae causa ad impiorum hominum audaciam comprimendam, populumque tuum praesenti ope liberandum excitabit? Nam si vis huius sanctissimi nominis vere significat, in te numen habitare idque nobiscum semper fore, & si, qui Dei praesidio recti sunt, nullis opibus opprimi possunt, aut de status
gra.

gradu aliqua ex parte dimoueri, quid magis indignum est, quam regionem tuam vastari, supplicesque tuos aut crudelissime necari, aut in miseram seruitutem abduci? (d)

Plura in hanc rem addere non vacat nunc, neque adeo necessarium videtur, cum occupata iam ab aliis haec opera sit, partim etiam bene confirmata explicationis quam praetulimus ratio, dubiisque insuper, quae hinc inde corripiuntur, factum satis. (e)

Sed agitedum nunc, o nostri, ut illum a Deo datum nobis, nobis mortalibus natum diuinum puerum propius noscamus, contemplemur nomen ipsius, omni frugē saluberrimorum sensuum refertum & quasi foetum. Immanuelis nomen tanto magis profecto curae cordique nobis esse debet, quo certius est, nostra causa id inditum esse domino, ipsumque vere, quod dicitur, virum esse nominis sui. Meminerimus inter arduas quaestiones, his qui sapientiae studium prae se ferunt, propositas, hanc etiam non vltimi ordinis poni Prou. XXX, 4. *quod sit nomen filii Dei?* Audiamus igitur, quandoquidem haec supra intelligentiam rationemque vel hominum vel angelorum posita est quaestio, Deum ipsum eam quasi explicantem, ad eamque respondentem, quando in oraculis suis cum alibi alia tum in eo quod excitauimus hoc Immanuelis nomen prodit. Hic ergo supremus doctor spirituum, in caelo cathedram habens, hic inquam ipse vno quasi verbo docet, quod scire nostra magnopere interest, quis & qualis sit filius ipsius vnigena, & quid mortalium genus de illo, hoc est de ipsius natiuitate, voluntate, munere sperare velit iubeat. Hoc interprete meliorem, certiorē, locupletioreque auctorem nec cogitatione fingere licet, nec voto expetere. Quin ergo hoc, tamquam cimelium caeleste, cupide ac reuerenter suscipimus nomen *θεοδωρον*, a patre luminum demissum? Haudquam enim Esaias ex proprii fundo ingenii hoc nomen expromsit, sed Dei Spiritu, quo ferebatur, indice, magistro ac praemonstratore reperit.

(d) Paraphrasis HIERON. OSORII Lusitani episcopi.

(e) Plerasque auctorum in alia omnia abeuntium sententias succincte, atque ita ut simul neruos incidat, recenset b. D. I. H. MICHAELIS in *Annotat. ad Bibl. ebr.* Conferri etiam potest contra

Grotium copiose disputans ABR. CALOVIUS in *Bibliis illustr. ad b. l.* ac praecipue VITRINGA in *Obs. S. l. c.* quem deinceps etiam, cum in Esaias vaticiniis explicandis iam senior verfaretur, eorum quae in prima aetate commentatus erat, haud poenituit, nec poenitere debuit.

B

rit. Neque quisquam id nobis aduersus diuinam huius nomenclationis originem obmoueat, quod vel ad matrem Θεοτόκον (f) vel ad totum fide-
lium populum referri videatur (g) Omnes enim hos nomenclatores,
vt ita dicamus, Θεήλατος noster præuertit, iisque dignum Christo
nomen sicut ipse a Deo acceperat, velut in aurem dicit.

Qui nomina rebus hominibusue imponunt, vel eiusmodi deligunt
vocabulary, quæ indolem ac proprietates eorum quæ nominantur expri-
mant, vel hoc parum pensi habentes arbitrium & causas quaslibet alias
sequuntur: (h) Et in sacris litteris quidem, ea præcipue nomina no-
tatu digna sunt, quorum ipse Deus auctor est, dum ea his vel illis, siue
αὐτοπροσώπως alloquens, siue angelorum hominumue opera vsus, attri-
buit. Hæc enim attentionem tanto maiorem haud dubie merentur,
quanto hæc a quo profecta sunt perfectior auctor est. Est autem horum
genus potissimum duplex. Alia communi etiam hominum vsu ac ser-
mone recipienda fuerunt & frequentanda, vt primi hominis nomen
□ΩΝ, vt Israelis, atque id genus alia, partim etiam non prorsus noua
sed ex pristina receptaque forma, omnis causa, a Deo ipso immutata, vt
Abrahami ac Saræ. Id omen in plerisque laetum est, vt nomen a Deo
datum aut mutatum quoties in quotidiana vita recurreret, fidei quasi pro
adminiculo promissionumque monumento esset: sunt vero etiam quæ
tristitia quædam portendunt, si non ipsis qui accipiunt, at aliis. Huius
generis ea sunt, quæ Hofeas liberis dare iubetur, Lo - ammi cet. tale
horrissonum illud Maher - schalal - chasch - bas, (CELERISPOLIVM
VELOCIPRAEDAM vtcunque vertas, si placet, præeunte Castellione)

(f) In quo nutus quidam mysticus,
Messiam nempe ἀπάτορα, quantum ad hu-
manam naturam fore, a multis obseruatur,
cum ὀνομαδυσία alias patri potius com-
petat.

(g) Matthæus καλέσωνι habet; qua
de variatione conferri potest præter alios
B. BENGELIUS in Gnomone N. T. ad h. l.
in hoc tamen falsus, quod versionem
αὐτὸν δ. καλέσωνι ebraicæ veritati vnice con-
uenire putat, cum forma vocabuli authen-
tici pariter tertia persona, vt loquimur red-
di queat, vt Lutherus aliique fecerunt;

quod si totum comma relegas, concinnius
esse apparebit.

(h) Ad primum genus referenda est
v. c. ὀνομαδυσία Adamo a Deo commissæ
ac postmodum approbata, quam, ob no-
minum cum natura ipsa conuenientiam,
logicam auctores quidam vocant, atque a
grammatica & arbitraria distinguere nos
iubent. Obiter monemus in verbis hi-
storiæ sacri Gen. II, 19. τὸ ἄνθρωπον
ad Deum vulgo referri, & hinc ἀνθρωποδ-
υσίαν statui, qua si saltem h. l. carere pos-
sunt, qui ad hominem referunt; quod
tamen nunc non disputamus.


quo ex Dei præscripto, ex se natum Esaias filium nuncupavit. Sunt vero alia exempla præsertim in prophetis voluminibus, ubi cum nomen dari dicitur, non tam ad vocabulum quoddam respicitur, ad eius sonum, apices, elementa, quam ad vim & significationem. Hoc pacto ingenium hominum passim, mores, facta & fata designantur. Et hæc honorifica sunt partim lætaque, partim funesta ac probrosa. Ecclesiam, (si in re obuia & facili exemplis uti paucis liceat,) Esaias c. LXII.4. *Chephzibah* dictum iri, ait, hoc est *Deo cavam*, si interpreteris, non sane de vocabulo nouo sollicitus, cum vetera nomina sufficerent, sed hoc innuens, talem futuram qualem id nomen sonaret, quod alioquin proprium etiam fuit matris Hiskiae. Contra ea in sacerdotem quendam sui temporis impium inuehens Ieremias, duraque & terribilia fata prædicurus, verius, esse ait, illum מורר appellari, quam *Paschuris*, quod a parentibus acceperat, vsurpare nomen. Ac prius illud *timorem* significat ebraica lingua loquentibus. Huiusmodi nomina, qui artis vocabulis vtuntur, *realia* vocare solent vel *symbolica*. Quorum ex censu illud etiam est cuius causa ista disputauimus, Immanuel. (i) Quodsi proinde de significatione & potestate huius ipsius denominationis sententia dicenda est, non dubitamus hoc in nomine velut compendium quoddam agnoscere illius, quod de nro suo Deus edidit testimonii, vt cum Ioanne loquamur i Ioan. V. 10. Recte enim rationes subducunt, qui referri nomen laudatum putant & ad *personam Θεω-δεωτῆρος* prorsus singularem ac sine exemplo admirabilem, & ad *munus mediatorium* per *duplicem statum* humilem ac gloriosum administrandum, & ad *beneficia* demum hominibus parta. Hæc ita inter se reapse copulata coniunctaque sunt, vt disiungi & quasi collidi secum haud debeant. (1) Ideo enim Deus filium suum misit, eumque ex femina nasci nostraeque naturae participem fieri voluit, vt æternum illud ac salutare consilium de mortalium re causaque restituenda exsequeretur, id quod hac vnica ratione ac via poterat fieri. Hunc finem si seiungimus, aut si de eo edocti diuinis testimoniis haud essemus, parum solatii ex illius facti quamuis mirabilis & plane noui notitia ad nos redundaret;

B 2

ret;

(i) Neque hoc vmquam, vt quidem proprio nomine Iesu, Seruator se appellat, quod nec commodum fuisset, neque alii homines id cum in terris versaretur, ei tribuerunt.

(1) Quod e. gr. in Cl. ALTINGIO non immerito reprehendit WOLFIUS in *Curis Philol.* ad Matth. I, 23.

ret; praeceps & peruerfum potius iudicium forte omnes laturo essemus, quod Christus vel ideo Io. III, 3. explicite refellit, quia id naturæ a Deo alienæ eumque ex se æstimanti, insitum esse nouerat & quasi in-natum. Pari autem ratione, Deum propitium sperare, nec tamen filium Dei in carne reuelatum seu natura hominum indutum agnosce-re velle, quid aliud est quam toto coelo errare? Itaque vtrumque tam perspicue traditur in sacris paginis, vt solis radiis scriptum esse videatur. De Immanuele videlicet & prisca vates ante *οἰκονομίαν ἑνωστικόν*, & post eam euangelistae & apostoli quasi vno ore testatum faciunt, quod sit ipse  Deus fortis, Iehoua, Deus verus de Deo vero; vt Nicaenum habet symbolum. *1. c. IX, 5. Pl. II, 6. 1. c. XXIII, 6. 1. Io. V, 20. cet.* Hunc præsertim scriptores sacri noui foederis testan-tur carnem factum, in carne reuelatum atque ex femina natum Io. I, 14. 1. Tim. III, 16. Gal. IV, 4. & id quidem eo fine factum con-do-cent, vt in adsumta hac carne, quae esset huic nostræ similis, sed peccati expers, salutem repararet, ceu vnus inter Deum & homines *μεστῆς*, plenus gratia ac veritate Rom. VIII, 3. 2. Cor. V, 21. 1. Tim. II, 5. Io. I, 14. cet. Ita etiam in officio suo Christus Immanuel est, quod homi-nes, qui in graui apud Deum offensa erant, nec per se vnquam ex ac-re illius exituri fuissent, in gratiam restituit, eaque nunc omnia pro-curat atque efficit, quibus opus est, vt non modo aditus ad Deum ipsis pateat, verum ipsi etiam hoc vtantur, omnibusque bonis ac donis regni sui aeternum perfruantur. Spiritus sanctus certe, quidquid eo spectat & pertinet, in scriptura sacra ad Christi sacerdotale, propheticum re-giumque munus refert. Est enim in his sacris voluminibus Immanuel *τὰ πάντα*, via, veritas ac vita, A & Ω, auctor perfectorque fidei, fons salutis. Huic vni debere dicimur, quod iam non modo *pro nobis* Deus esse velit, sublatis omnibus irascendi caussis, sed etiam *in nobis* habitare tamquam in templis ac domiciliis suis idque in sempiterna sae-cula Rom. VIII, 31. Io. XIV, 23. 2. Cor. VI, 16. Eph. II, 22. Quorum munerum, quae tot ac tanta sunt, compotes tum demum reddimur, si vera ipsum fide *Immanuelem* vocemus, id quod Matthaeus, dictum pro-phetae allegans a fidelibus factum iri innuit; *vocabunt*, ait, *nomen eius Immanuel.* Vocatur autem Christus Immanuel, quoties vt Deus & homo agnoscitur, invocatur & celebratur, quae B. SALOM. GLASSII verba sunt.

sunt. (m) Haec fides quae in terroribus conscientiae, ex viua ἀποστασίας nostrae agnitione ortis nascitur, desperata omni alia salutis impetrandae ratione, Christum amplectitur, eiusque meritum irae ac iudicio Dei opponit. Ita autem recipit Christum vt Euangelii voce admonetur, hoc est totum in omni opere ac munere, prout a Deo factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio & ἀπολύτρωσις, vultque adeo vera fides, Christo intime & arctissime adhaerens, (1 Cor. VI, 17.) ab eo illuminari, iustificari, sanctificari ac gubernari, tandem etiam ab omni malo plene & aeternum liberari. Conf. 1 Cor. I, 30. 2 Tim. IV, 18, & APO. L. A. C. p. 117. Huius fidei illa vox est vel in summo rerum discrimine **יְמִינֵי אֱתָנָה** Tu (Immanuel) *meum es*; Pl. XXIII, 4. cuius vim sententiae pluribus edisserit Pl. XXVII, 1. 2. 3. Sic iam nouo quodam modo *in Deo viuere* incipimus, *moueri & esse* Act. XVII, 28. Sic christianus homo quilibet, suo modo, Immanuelis Θεανθρώπου beneficio, redditur ἄνθρωπος Θεῶν 1 Tim. VI, 11. quod alias de illis eminenter & proprie dici solet, quorum opera in colligenda & pascenda ecclesia sua Deus vitur.

Et sic in hoc nomine vniuersa etiam omnium locorum ac temporum ecclesia, iure sibi credit a Deo propositum & exercitium fidei & adimniculum. Exemptum iam olim praeiuit Esaias imitatione dignissimum, dum insigne solatium, fiduciaequae nutrimentum, ex illo nomine, quod sibi primo reuelatum erat, & percepit ipse & cum aliis communicare studuit. Hoc fretus, etsi graues quosdam terrae Israeliticae casus impendere animo cerneret, bono tamen animo est, & ciuibus animum oratione plane heroica addere studet. Posteaquam nempe patriam suam, ita vt supra vidimus, Immanueli, (Deo forti s. heroi, c. IX, 5.) commendasset, ex humili supplicatione totus repente in exultationem vertitur, ridet hostium apparatus, vim ridet instructasque copias, ac triumphum vere canit ante victoriam. Id enim, ne quis hic erret, in aliis quidem casibus stolidum iure putatur, at idem fidei honestum ac tutum, Deo autem cuius inuiso auxilio promissisque certissimis fides nititur, acceptum est atque gloriosum. Mirari licet diutnum impauidi pectoris robur ex illis quae c. VIII, 9. habentur emicans.

B 3

(m) GLASSIUS in *Onomatologia Mes-siae prophetica* p. 413. quod scriptum est inter ipsius opuscula a THOMA CRENIO (h. c. THEODORO CRVSIQ, *collecta & iunctim edita* Lugd. Bat. MD CC.

cans. Quae verba, si eundem quo supra vſi ſumus, enarratorem (n) hic denuo audimus, in hanc fere ſententiam abeunt: *Nullae ſunt copiae nobis extimeſcendae, nulli motus bellorum metuendi, nulla regum maximorum conſpiratio formidanda. Coniurate in noſtrum exitium, o populi, & tamen fracti & debilitati conciditis. Audite omnes qui extremas terras incolitis, ſumma diligentia bellum comparate, vos ipſos, inquam, ad perniciem nobis inferendam inſtruite, & tamen fracti atque debilitati conciditis: inite conſilium & irritum fiet, minas proponite & erunt inanes, quia nobiscum Deus. Haec enim eſt Immanuelis nomini ſubiecta ſententia. Huius enim fiducia animum meum Deus conſirmauit, & ſpiritus inuicti robore ſtabilivit, ne populi huius imbecillitatem imitaver, & mores & nefaria inſtituta ſequerer, cet.*

Quod ergo tum fieri potuit, cum vaticinii illuſtris implementum abeſſet adhuc, nec adeo prope abeſſet, id nihil dubitandum, quin multo etiam magis nunc conueniat Eccleſiae, poſtquam pridem aduentus ille Meſſiae a vatum choro praedictus contigit, ipſeque Immanuel vim nominis huius expleuit & adhuc porro explere paratus eſt. Maneat ergo, ſi vel ſumma imis miſceantur, & inuſitata rerum omnium perturbatio exiſtat, haec conſtans & perpetua profeſſio ciuitatis domini: *Iehoua (Deus) exercituum NOBISCVM EST, nobis munimento eſt Deus Iacobaeorum* Pf. XLVI, 8.

Itaque & nos, Ciues, his temporibus ſane quam periculoſis & difficilibus, ad officium noſtrum pertinere ſtatuamus, vt Immanueli nos noſtraque atque ipſam illius ciuitatem ſubmiſſe & fidenter commendemus, exoremusque ipſum, vt nobiſcum maneat, hoc eſt praefens & propitius adſit atque interſit populo ſuo, diſſiciat globum coniuratorum in purioris coetus perniciem hoſtium, faueat ſuo, quod nuper largitus eſt, muneri victoriae, iubeatque, ſi ita viſum ipſi eſt, citam pacem conſequi, eandemque certam, fidam, inconcuſſam; efficiat denique vt, id quod ſaepe contigit, arma ipſa quibus mundus atteritur, ſuo regno famulentur atque inferuiant.

Quod ad dies feſtos attinet, qui nunc inſtant & celebrandi ſunt, (redeat enim ad id vnde ducta eſt principium noſtra oratio) nihil magis, Ciues

(n) HIERON, OSORIVM in *paraphraſi* ſ. 29,

Ciues carissimi, in votis habemus, quam vt praeconium de Christo nobis nato eiusque salute, laetissimos vberimosque in Academia nostra fructus efferat, eique his quoque diebus atque inter nos contingat, quod vates olim ominatus est. *El. LV, IO. II. Vt delapsa caelo pluvia aut nix, eo non reuertitur, quin terram imbuat, & ita grauidet ac fecundet, vt & semen ad seminandum, & panificia edat ad vescendum: ita accidet in verbo quod ex ore meo prodierit, vt ad me non redeat infecta re, quin faciat quod mihi visum fuerit, feliciterque transgat, quod ei mandauero (o).* Quod si per hos dies salutaris illa Dei gratia celebrabitur, quae ab omni mundanae vitiositatis corruptela nos auocat abducitque, contra vero ad caelestia inuitat & quasi blanda manu iniecta trahit: huic aequum est vt vos permittatis, nec vel praefracte repellendo eam, vel oscitanter negligendo, ipsi commodis vestris officere & parum vos amare videamini.

Nihil nunc postquam Immanuel, totus quantus est, noster esse vult, nosque pro suis habere, a Dei communione se iungere nos, id vero est infelicissimos reddere potest, quam voluntaria peccatorum seruitus, quae plerisque non secus placet, ac si hoc demum esset vitam vere vitalem agere, peccatis se mancipare quorum mors certum stipendium est. *Hoc seruitio & turpi & pestifero eiurato, qui cum Deo per Christum in gratiam bona fide redeunt, ii vero & hoc in tempore soli beatam tranquillam, vitaeque nomine dignam vitam degunt, & deposita hac mortalitate aliquando semper erunt cum Domino. 1 Theff. IV, 17. Phil. I, 23. futurumque tum est quod sancta Apocalypsis praenunciat: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum illis, ipsique eius populus erunt, & ipse Deus erit cum ipsis, Deus ipsorum. Apoc. XXI, 3.*

Itaque cum tam egregia sint ac profus diuina, quae dignum Euangelii vsum consequuntur commoda, quaeque non huius vitae solum, vix puncti instar habentis, terminantur regionibus, sed ad omnem sese extendunt aeternitatem; nolite, quaesumus, committere, vt voluntati diuinae in salutem humani generis tam intentae quisquam desit ac male respondeat. Caeterum hoc caput est, vt per testimonium scripturarum, cuius quidem vt supra diximus, Immanuel nunc

(o) Ex versione SEB. CASTELLIONIS.



cleus atque medulla est , ad ipsum vos adduci patiamini Io. V, 39.
 In hoc inuestigando diligentiam & studium imitamini eorum, quibus
 olim laetus de natiuitate Domini nuntius obtigit; huius tantorum mu-
 nerum auctoris, qui non leui sane impensa facta, ista omnia peperit,
 huius ergo vt compotes fiatis etiam atque etiam studete, nulli ea in re
 operae, nulli studio parcentes. Sic in se quisque experietur, quam
 bonus sit Dominus, qui hac fide, obedientiaque voluntati suae
 praestita maxime honorabitur, prout ipse nostram naturam honora-
 uit, dum arctissima ipsam cum diuinitate sua colligatione deuinxit.
 P.P. In regia Fridericiana d. xxiv. Dec. clō Io cc lvi.







99 A 6936

99 A 6936

ULB Halle
002 397 110
ULB Sachsen-Anhalt
Ausemleihen 3
Datum: 2009



189.





AN
NA

ACAD.

D. PHIL
MEDICIN
ACAD. CAE

DE

IN ARGVME

HALAE, II

SACRA
TATIS
TI

DA
DERICIANAE
R
S BOEHMERVS
ROF. PVBL. ORD.
EROLINENS, SODALIS

R E
NATV

ATIONE
ANVELIS
AE SPEI PROPOSITO.

PHI. M DCC LVI.

